videbat ditatam. Columba igitur de celo veniens ut divina potentia in reliquum tempus circa martirem factum mirabilior fuisse predicaretur. blando alarum volitatu dulcique pennarum applausu cum ymbrifero rore totum vim flammarum extinxit. pirramque torridi incendii quasi irriguis fontibus tali volitatu omnino repressit. Vidit ecce vir sanctus beatissimam fidem velut palestram non tortorum ictibus lesam. non igne exustam neque sauciatam corpore. sed celestibus ornamentis stare redimitam. Qua constitute tam preclara tamque mirabilem mox ut dei famulus predictus caprasius spiritualibus oculis conspexit. supernis gaudiis dignam eam futuram intellexit. Tunc securus non imparibus meritis eandem gloriam subiturus rupem sub qua habitabat dextera sua percussit. et continuo inde fons iugis aque emanavit. Qui usque in hodiernum diem indeficienter currens. salutis remedium virtute dei cunctis advenientibus prestare non desinit. Quotienscumque enim tedio languoris quilibet detentus fuerit. mox ut de ipsius rupis fluento haustum gustaverit. optatam salutem recipiet meritis sancti martiris. Qui vultu hilaris. spiritu alacer corde intrepidus ceteris ignorantibus ad locum ubi gloriosissima virgo et martir fides flammarum patibula sustinebat. incunctanter advenit. christum publica predicans voce. Quem statim audiendum impius tyrannus suis aspectibus statui iussit. Ille vero intrepidus coram eo stetit. Et preses eius nomen patriam genusque requirit. Adque sic caprasius inprimis quod preclarum est christianum me confiteor. itaque generationis lavacro caprasius a sacerdote nuncupor. Hoc audito preses blandis eum cepit lenire sermonibus. Video inquit te decorissimum iuvenem qui si forte sermonibus meis acquieveris poteris in palatio summorum principum amicitia perfrui. et multa consequi predia. Tunc sanctus caprasius celestibus mirabilibus admonitus sancte martiris fidis exemplo ad supernam coronam spem totam configens ita respondit. Illius desidero habitare palatio quem a baptismo dilexi. et redemptorem omnium in se credencium semper agnovi. Preses dixit. Vellem te o iuvenis abhac malesana pertinacia revocare. et preditum amplis possessionibus ditescere. Ad hec sanctus caprasius. Credit tibi illo credo consequi indeficientia predia qui est fidelis in verbis suis et sanctus in omnibus operibus suis. Preses autem ut vidit immutabilem mentem eius et ineluctabilem sermonem ait suis. Vereor cum homine isto diutius sermonibus certare. ne ab eo iurgiis fatigatus vincar. Tunc iubet ministris eum assumi. et sine ulla pietate carnes eius laniari. Cumque hoc factum fuisset fortiter penas toleravit. atque alacri vultu constanter christi nomen principibus predicare non destitit. Cui pietatis affectu super eum lacrimantes magnoque eiulatu frementes. una voce clamabant dicentes. O impietas et inaudita iudicia cur sanctum dei omni bonitate ornatum tanta crudelitate iniustis perditum? Erat enim beatus martir amabilis omnibus et inter tormentorum examinatione speciali decore vir angelicus. Cuius constanciam nulla iniuriarum vi superandam nulloque excogitatorum argumento cruciatuum reprimendam. duo fratres nomine et meritis primus et felicianus admirantes amore dei toto anhelo pectore flagrantes tam fide quam et ope continuo huic se agoni sociaverunt. mortisque periculis se alacriter immerserunt. Quos omnes ad iugulum mortis una conspiratione confertos. mox ut vidit sevus ille carnifex blandimentis demulcere minisque terrere cepit eos. Sed nec sic ullo modo flectere potuit. Sicque in ira gravi commotus. ut se adversus eos nullatenus prevalere sensit. ad ultimum data sententia omnes simul cum beata virgine et gloriosa martire fide duci ad delubra precepit. ubi aut diis ymolare aut capitibus flexis omnibus certum fiat vitam finire. seuus
Ducti sunt ergo per milites una cum beata fide ad predictum locum. Ubi cum nulla vi potuerunt compelli ad sacrificandum. capitibus cesis una diei hora cum triumpho martirii ad coronam glorie feliciter simul pervenire meruerunt. ut quibus pulchra et venerabilis extitit in fidei constancia societas. esset pulchrior atque excellencior in martirii societate felicitas. Dignum namque atque felicem agennensis urbis deputamus locum. qui origine martirum floruit. atque per eorum gloriosa certamina fidem christi promeruit. et post agones tumulanda eorum corpora recepit. Quos christi cum summa veneratione celestium virtutum. intra beatorum spirituum consortia ovantes ascivit. cum quibus stola immortalitatis decorati. et corona glorie inmarcescibili laureati. inenarrabili claritate perfruuntur. atque cum deo et agno sine fine regnaturi. divine visionis iocunditate potiuntur.
De quorum passione pridie nonas octobris nos gaudere et illustrare voluit qui gloriatur in sanctis suis dominus noster ihesus christus cui est cum patre et spiritu sancto honor et gloria in secula seculorum amen.
// Horum ergo corpora tormentis miserabilibus lacerata. cesisque capitibus obtruncata infidelis gentilitas in platea tamquam neglecta reliquit.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 610, p. p.%20220 – Computistic Texts and Tables; Lives of Saints and Martyrs; Casus sancti Galli etc. (http://www.e-codices.ch/en/csg/0610/p.%20220)